



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Neapolitana Provincia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68850)

more, cæpta in itijs valida, spatio languescerent. Idem fere de alijs oppidis dici potest. Parua hæc sunt, dicet aliquis: fateor: sed hæc parua maiores nostri, a quibus fuerunt tam magna, maximi fecerunt.

NEAPOLITANA PROVINCIA

VERSATI sunt in Neapolitana Prouincia locis septē, socij fere trecenti. Neapoli, In Professa Domo sexaginta quinque. In Collegio centum viginti quattuor. In Nolano, antequam Neapolim commigrarent Nouitij, vnus & quinquaginta. In Catacensi, Aletino, Bariensi, in singulis septeni deni. In Cirinolano septem. Minuerunt numerum vndecim. Auxerunt quadraginta quinque.

DOMVS. PROFESSA

SINGVLARI pietate & munificentia excellens Roberta Carafa Dux Matalunensium Collegij fundatrix partem etiam curarum in hanc Domum deriuauit. nam ex perpetuo reditu aureorum quinum millium, quem esse voluit proprium Collegij, ita res composuit, vt quaterna millia adificandæ Professorum Domui attribuantur: donec opus sit perfectum: in quo nunc laboratur. Templi etiam

C instru-

instrumentum auctum a pluribus. Sorores duæ clari-
 tate natalium, & amore virginitatis insigni, super
 egregium ornatum sacelli, quod in templo a Patre Ge-
 nerali Nostro impetrarunt, ubi monumentum sibi
 faciendum curant, mirum, quam multa in sacram
 conferant supellectilem. Illæ simbriatum auro peri-
 stroma argento intertextum, stellulis aureis marga-
 ritisq. distinctum. illæ libros missales duos, duasq. sa-
 crorum linteolorum thecas, omnes eodem cultu, ex
 argentea lamina, bullis aureis illusa. illæ calices duos.
 polubrum illæ cum binis guttulis ex argento solido,
 præclaræ artis. Magna in has res omnes a duabus pe-
 cunia impensa: sed his donis ostendunt magnitudi-
 nem pietatis. Sunt præterea illustres aliæ femina vi-
 riq. qui pulcherrimis muneribus ad eam nostram exor-
 nant. Et certe talis esse debet quæ ab vniuersa nobi-
 litate concelebratur, siue ad Eucharistiæ perceptio-
 nem (communicant singulis festis diebus minimum
 octingeni) siue magis ad concionem, quæ semper fre-
 quētissima. hinc illi fructus. Mulier primaria ita odif-
 se cœpit superfluam mundiciem cultus, quem antea
 adamauerat, vt illo diuendito, non paruam vim num-
 morum contraxerit, quam in pauperes largiretur,
 qui pro concione commendantur. eadem annuo censu
 centenum aureorum adiuuat templi edificationem.
 Animi labe, quas in omni vita collegerant, expia-
 runt mille quadringenti. pudiciæ in multis detri-
 menta aut sublata, aut correctæ. Mulier, quæ viro vi-
 uente in nuptiis alteri denupserat, huic eidem
 legitimo matrimonio iuncta, priore defuncto. Dyna-
 starum

Starum duorum uxores, quæ siue dissimilitudine ingenij, siue æmulatione gloriæ, similitates inter se gerebant, quas affines vtrunque & cognati componere diu irriti moliebantur, itemq. magnæ auctoritatis Principes duos, nostri, Deo adiuuante, placarunt. Numerus eorum, quibus explicatur doctrina Christiana, cuius schola superiore anno aperta, in tantum auctus, vt, quoniam vnus omnes non capiebat locus, in duos fuerint diuidendi. quamquam ne sic quidem non admitti multi non possunt. hos autem ex omni confusione permistos (vario enim fere omnes ordine, alio in stiruto, dissimili ingenio) ita vno vinculo copulauit doctrinæ societas, & ratio disciplina, vt non nisi Dei af flatu in hunc consensum potuerint coalescere. Institutum etiam Sodalitium Beatæ Virgini nascenti dicatum, cuius non minus rem, quã speciem laudaueris, constat plerisque nobilibus. In his Princeps duo, totidem Duces, quorum alter regie classis in hac ora præfectus, Marchiones septem, Pontificis Maximi Nuntius, Episcopi tres. multi præterea, quos aut dignatio, aut nobilitas in hunc cætum admittit. sunt omnino centum quinquaginta septem: quorum omnium in Deum pietatem, & caritatem in proximos, ipsorummet maiestas & claritudo in obscuro esse non sinit. Vnus quidem, cuius annum vectigal aureorum millium centenum quinquagenum, illustris æque genere & luxu, hanc vbi Sodalitatem celebrare institit, ita se composuit ad mediocritatem, vt & retineat laudem elegantie, & effugiat luxuriæ notam. In eorum præcipue subsidium incumbunt, qui

cum propter paupertatem, aliena indigeant misericordia, ingenuo pudore a quærendo deterrentur. In hoc opus uno anno, præteritis ijs, quæ carptim tribuuntur, collati aurei mille trecenti. Quidam in eundem usum a morte sua aureos quingenos: a nepotis, millenos legauit. Multa etiam donata a pluribus ipsorum sacello, vt Crux, & candelabra gemina e crystallo: malluium, guttumq. ex argento: alterum item malluium minus cum suis vrceolis ex eadem materia: lampades septem argenteæ. Sed hæc, vbi tam multa suppetunt donaria, relinquuntur. Veniam ad ea, quæ speciem habent miraculi. Mulier quædam nobilitate ac religione præstanti, multis persæpe dolis a diabolo tentata, quasi metus eius rimaretur: modo iniiciendo vento in sacrarium domesticum, vt omnia nutarent: modo quatiendis adibus, vt ruinam minarentur: modo filiola gemitus quasi opem poscentis in aures immittendo: muliebrim vicit pauorem, et amorem maternum, & multo gloriosius, inimici artes, pia audacia. Femina altera semestri tabe diutinoq. languore consumpta, vnius e nostris admonitu cum pauculas hausisset guttas eius liquoris, qui manavit e corpore Andrea Apostoli, valetudini pristinae restituta. Alia, cum in graui agrotatione derelicta a medicis, existimaret se pariter a Dei genitrice, quam miro honore semper colebat, esse desertam, maiore vita metu, quam mortis, animum desponderat. hæc, cum cohortatione sacerdotis nihilo minus Mariæ opem implorasset, conualuit, medicis admirantibus. Igitur illa admiranda: hoc imitandum magis. Mulier
summo

summo genere cum in secundo cursu rerum suarum
sequi pietatem cœpisset in nostro templo, ex illo res
fluere in deterius, ac retro referri: super omnia filiam,
qua nihil ei carius amisit. nec tamen v̄mquam antea,
nec vero percussa tā graui casu institutum deseruit.
eo ipso die in eadem venit, & panem caelestem acce-
pit. ita enim loquitur cum suis equalibus, vt dicat, re-
rum mortalium possessionem, nihil aliud sibi, nisi som-
nium aut v̄mbram videri. Huius autem mulieris fi-
liola, cum extremum ageret spiritum, assidenti ma-
tri. Accersi iube Domina mater presbyterum no-
strum. ostendam illi matrem Dei. Illa, viden, quæ me
blandum ridens intuetur? est similis eius imagini,
quæ visitur in templo nostrorum Iesuitarum. Hæc cū
repeteret identidē, lato vultu atque alacri requieuit.
ergo huic puellæ Maria apparuit: alteri Christus.
Hæc seruitutem seruiebat matronæ cuidam nobili.
cum appropinquaret supremis, sacerdos, qui erat ei a
confessionibus, quærit, diuturnam malit, recepta vale-
tudine, in terris vitam agere, an in calum recta pro-
ficisci. Tum illa, vt solitam pietatem facile cerneret.
Meum velle & nolle idē esse debet, quod Dei. Dein,
secum cogitans quod dixerat. ecquid, reuocandum
est, inquit, hoc verbum? Nam ego te, & Dominam
meam, diuerso licet respectu, Christi loco semper ha-
bui. Nec multo post, cum inferretur cibus, Miracu-
lum, exclamat, miraculum. excita hoc clamore fami-
lia, confestim accurrit. at illa, horrorem professa &
venerabunda. Quo, ait, meo merito factum, Iesu dul-
cissime atque optime, vt ad postremissimam famulam

tuam venire ne graueris? Tum motās subinde manū,
 defixis oculis, addit. Quam leue est onus dominus Ie-
 sus. offerebant interea circūstantes Christi imaginem
 deosculandam : at ego nullam video imaginem: ip-
 sius met Christi aspectu fruor. vrgentibus vt sume-
 ret cibum. Quid cibatu est opus, respondet, vbi
 adest Iesus? postmodum quattuor videt angelos, vt
 referebat, quorum vni in manu tres stellæ. Vt sacro
 peruncta est oleo, Nihil, quæso, dicebat, me contin-
 gat: iam enim tota Dei sum. nec ita multo post, cum
 ex hymno beatae Virginis vltimam recitasset particu-
 lam, cuius initium, Maria Mater Gratia, animā Deo
 reddidit. Mulieri item alteri visus Christus, admo-
 nens ne vllum quidem peccatum deleri posse e tabel-
 la, in qua omnia erant descripta (eam manu ostende-
 bat) si vllum reticeretur. Ceterum, Barulum, vnus
 profectus: & Teate, postulatu Castrucij Cardinalis
 missi duos; eaq. præstita de more vtrobique, quæ, etiam
 me tacente, ab omnibus intelligi possunt. Posteriore
 anno mortui sacerdotes duo.

COLLEGIUM. NEAPOLITANVM

PRIORE anno vnus nostrum iam fere despera-
 ta salute cum hortatu Præpositi Prouincialis
 nuncupasset votum ad Beatam Virginem Laureta-
 nam, admirabiliter persanatus est. Posteriore obie-
 runt duo. Iam vero, vt omittantur quæ apud trire-
 mes cum nautica turba, apud publicas custodias cum
 vinculis, qui sua execrantes maleficia, tradiderunt no-
 stris

stris non superstitiosas modo notas deuotionesq. sed
 res etiam, quas ex usu sacro in profanum impie con-
 uerterant: ijs quasi vel eluderetur veritas in qua-
 stione, vel tormentorum vis hebetaretur: hæc enim
 sunt anniuersaria: magis propria referamus. Quat-
 tuor hominum Congregationes in Collegium, vna
 extra Collegium de nostrorum consilio, conueniunt.
 Sodalitas Mariæ Virginis duplex. externorum vna,
 studiosorum altera adolescentium, e qua proxime
 Academia effloruit. Tertia confusa multitudine.
 Quarta (hæc extra Collegium) mendicorum. Schola
 denique doctrinæ Christianæ. De his ordine aliquid
 dicendum. E maiorum Sodalitio vno anno viginti se-
 lectissimis religiosorum familijs addixere, decem no-
 stræ. ex vnus facto & alterius discetur quæ sit vir-
 tus singulorum. Adolescens satis ampla familia cum
 abiectis curis inanibus, totum se ad seria conuertif-
 set, venit in suspicionem suis, ne rebus humanis nun-
 tium remitteret. ab hoc eum studio vt auocarent ille-
 cebra voluptatis, vbi ipse meridiari solebat, eo immi-
 serunt mulierculam, cui nihil erat boni præter pul-
 chritudinem, oneratam magnis promissis, si animum
 adolescentis alliceret. non potuit illius excetra deli-
 nimentis capi, nec venenis imbui pudicum pectus:
 sed os illud ferreum ijs conuicijs verberauit, vt præ-
 mortui quamquam pudoris femina magno cum rubo-
 re discesserit. Duorum etiam adolescentium tentata
 pudicitia eodem euentu. Ex minorum Sodalitio se-
 ptemdecim nobis adiuncti. Vnum ex ijs cum reuo-
 care frustra conatus esset pater, priuauit omni spe hæ-

reditatis. Nihil illi accidit propterea triste. quippe iam maiore fiducia apud Deum, dicet. Dominus pars hereditatis meae, & calicis mei: tu es, qui restitues hereditatem meam mihi. Totidem se alijs cœnobijs manciparunt. Tertia Sodalitas, quæ est ex infima plebe, in plures tributa classes, constat capitibus fere nongentis. mira horum omnium corporis edomandi flagris, vestituq. aspero cupiditas. Vnus eorum numero cum repentino mortuus esset, repletus est cum cilicio. operam præterea ponunt non inutilem, ut si quem sciant implicatum sceleribus, ducant, quasi aliud agentes, in Collegium, ubi a nostris doceatur. hac ratione correcti, & directi multi: uni quidem certe extracta concubina, eaq. spõte compulsæ in claustra Pœnitentium. Quarta Sodalitas conflatur e mēdicis. hi docentur loco quodam remoto ab ædibus nostris, de ijs quæ ad salutem pertinent, ab aliquibus eo de cœtu, de quo supra diximus: itaq. adiuvantur, ut corporis egestati provideatur, et utilitati animorum. Communicant interdum ducenti. tanto maior ex hoc conuentu utilitas, quanto magis hoc genus hominum, qui non sunt solum ignobiles, sed etiam ultimæ sortis, est interdum vsque eo ad nequitiam prolapsum, ut gaudeat infamia. Postrema est vetus Schola doctrinæ Christianæ, quæ & numero in dies augetur & fructu. Socij sunt instar mille. ita, cum hominum nullum sit genus, in quod Societas nostra non ostendat suam beneficam voluntatem, vulgo iam dicunt, eam esse vnã ad benemerendum de omnibus natam. Fuit hic quoque aliquid proximum mihi
raculo.

vaculo. Dextera cuidam intumuerat, in eam molem
 excrescente indice, vt ne totam corrumpere conta-
 gio, esset ignis admouendus. indicauit hoc nostris eum
 inuisentibus: molestiusq. sibi ait accidere, quod ad sa-
 cerdotium perueniendi (erat enim iam sacris initia-
 tus) aditus praecluderetur: vnum solum restare persui-
 gium, Deiparae patrocinium. nec spes irrita. commen-
 datus sodalibus, eo ipso die, quo digitus erat exuren-
 dus, sanus & gratulabundus ad Sodalitium accessit.
 Quidam e colloquutione cum uno e nostris. abiecto oc-
 cupandae mortis consilio, non solum viuendi, sed bene
 etiam & Christiane viuendi in posterum, accepit.

COLLEGIUM. NOLANVM. ET
 Domus Probationis Neapolitana.

TYROCINIUM nostrorum Neapolim
 Nola translatum anno posteriore. Prius igitur
 de Nouitijs separatim, tum de Nolano Collegio
 pauca exequemur. De illis hoc tantum. Enituit in
 multis deligendis Dei prouidentia: & aliquorum
 spectata virtus in ea persequenda, iuxtaq. in re-
 pellendis domesticorum telis perseuerantia. vnus
 obiit cum mira significatione pietatis. reliqua com-
 munia. Translata igitur Nouitiorum institutio Nea-
 polim in locum satis commodum, magna urbem la-
 ritia affecit. Declararunt dona multorum, quibus
 principiorum leuata difficultas. Venusinus Princeps
 aureos bis mille sexcentos dono dedit. sexcenti ali-
 unde corrogati. instrumentum domesticum collatum
 a plu-

a pluribus . templum ornari cœptum sacra supelle-
 ctili . Iam Nolam reuertor : quo post Nouitiorum
 discessum submissi e nostris qui in Neapolitano
 Collegio Rhetoricæ operam dabant , magna gratula-
 tione ciuitatis . Initium docendi iucundum & magni-
 ficum , oratione duplici , quam cohonestauit Episco-
 pus , ita delectatus disciplina nostrorum , vt adole-
 scentes Seminarij , dimissis magistris , quos condu-
 xerat , ad nostrum gymnasium destinavit . Nola præ-
 terea , siue in coniungendis animis , quos odia distra-
 xerant , siue in cade impedienda , siue in eripiendis
 compluribus e faucibus Satanae , cui vnus sese syn-
 grapha , quam exararat sanguine , addixerat , specta-
 ta nostrorum industria . Hic etiam , eorum qui manu
 & arte victum querunt , est quoddam Sodalitium : e
 quibus duo in Societatem adscripti . Ducentos trigin-
 ta aureos Nolana Respublica opportunum subsidium
 Collegio misit , cum fere laboraret inopia . Ad vi-
 cinum oppidum duo missi rogante Episcopo , duas
 constituerunt Sodalitates , vnã virorum dignitate
 præstantium , alteram adolescentium . atque vt se de-
 derunt initia , admirabili cum spe vtriusque profectus .

CATACENSE. COLLEGIVM. ET
 Aletinum.

INCATACENSI, schola eorum, qui
 diurno questu tolerant vitam, coalescit & con-
 ualescit in dies magis. vnus ex ijs falso delatus ad iu-
 dicem, summum, pedum manumq. cum torquerentur
 digiti

digiti, cruciatum forti animo tulit. cum interea, hac patienti, ut retulit, Patris Campiani dolores ad animum occurrerent. Idem de Virginis Sodalitate dicendum. omnes fere optimates. carcerem inuisunt, in quo curatum a nostris, ut ex publico decerneretur pecunia, ubi sacrum a vinculis audiretur, sacello extruendo. iidem oboratos interdum, soluendo eorum alieno aere, dissolunt. bini octavo quoque die adent nosocomium, egrotos curant solanturq. eo maiore cum agrorum utilitate, quo alacrius fit quod sponte suscipitur, quam quod pecuniae datur. Noua super hac constituta Sodalitas sacerdotum, quam ipse etiam Episcopus frequentat. Hic, quod ad eorum pertinet officium, pro tempore docentur. eodem postulante Episcopo conciones habita ad cenobium virginum. in vno quicquid habebat omnes sepositum, ad antistite pedes abiecerunt, ut proprium cuiquam nihil esset. Firmata pax inter plures, et sopitus interim gladium furor, qui in multorum interitum imminebat.

ALETII, siue Lupijs (nam de huius urbis appellatione duplex opinio est) Sodalitates tres, sacerdotum, virorum principum, adolescentium. addita proxime quarta opificum, quorum virtus hinc perspicipote est. Quidam in foro medio fuste casus, illico cadentem amplexus. Vtor, inquit, occasione earum rerum, quas in doctrina Christiana audiui esse faciendas. Cum alapam alter accepisset, Christi memor precepti, percussori maxillam prebuit alteram, non recusans aliam, si libuisset. Magna horum hominum pietas. Ardebat vnus febriliter, multo magis cupiditate
ad

ad Sodalitium accedendi: quo si iret, de recuperanda
 valetudine non desperabat. iuit vrente astu domum
 incolumis reuertit. Magna in hac vrbe nostrorum
 existimatio: ex quo fit, vt eorum auctoritate exul-
 cerata multorum, & virorum etiam principum odia
 sanentur. vnus efferatum ira animum, vel ipso ad-
 spectu nostrorum sensit mitescere: & abiecit consi-
 lium inimici interficiendi, quod diu agitauerat. salu-
 taribus admonitis liberatus quidam terrore spectri,
 cuius continuus domi visus conscientiam arguebat.
 Virgines, quibus fames persuaserat aut amissionem
 vita, aut, quod non paulo miserius, pudicitia, oppor-
 tunis adhibitis remedijs, ad saniora conuersa. ex cur-
 sum in oppida propinqua duo. eorum in vno Turca
 perductus, & instructus ad fidem. duo viri pacati.
 a matre mors filij inimicis remissa. insituta schola
 doctrinae Christianae. Dum itur ad alterum, incidit
 sacerdos in duos iam strictis gladijs ex prouocatione
 dimicantes. alter eorum iam fracto mucrone, exitio
 proximus: infert se in medium magno animo noster,
 & corporis oppositu dirimens pugnam, eximit illum
 a morte: qui & placatus, postridie inimico conuiuuij
 fecit. rebus latis huius Collegij aspersit aliquid mo-
 lestiae eius rector pater Petrus Pictarella, magna
 vir prudentiae & caritatis, qui cum posteriore anno
 iset ad Congregationem Prouincialem, Neapoli
 decessit.

CIRI-

CIRINOLANVM. ET. BARIENSE
Collegia.

Et morbo per totam Appuliam superiore anno, & sterilitate frugum laboratum est. ille vñi Cirinola abstulit e numero exiguo nostrorum: hæc materiam præbuit reliquis, vbi, depellenda multorū fame fructuose occuparentur. cum enim misera plebecula ritu ferarum virgulta stirpesq. & internatas saxis herbas assidue manderent, & pallenti ore membrisq. albetibus, ieiunij ostentui essent, actum est cū Collegij Fundatrice & domina huius oppidi Comite Sancti Angeli, vt pro sua liberalitate ad illos tritici modios, quos tribuere quotannis pauperibus solet, adderet alios, qui essent satis vsque ad nouam messem, ad eorum depellendam inopiam. nec minus benigne præstitum. singulis hebdomadis bis in Collegio distribuebantur panes: magnum paupertati leuamentum. Ludus litterarius nunc primum apertus. concionum non defuit vsus, & fructus. In eos, qui concubinas haberent inuectus erat sacerdos: ostenderunt id sibi in animo hæsisse duo, simul atque redierunt domum pellicibus exactis. Inductus vnus ad parcendum alteri, qui falsum de eius filia crimen dissiparat. Excursum in vicina oppida: & interfuit salutis multorum nostris operam dedisse.

B A R I E N S I S Antistes antiquam illam suam in nobis tuendis consuetudinem præstat. ciues ad extructionē templi per decennium centenos quinquagenos aureos ex Senatus consulto polliciti. nec
deest

deest liberalitas finitimorū principū. Quinque iā sunt Sodalitates eorum, qui dant operā Philosophiæ Christianæ in hoc Collegio. Adolescentium: hi cōueniunt quotidie. Rusticorum: quorum tāta existimatio, ut eorū opera plerique omnes utantur. Opificum: horum magna seueritas in disciplina. Nobilium: de quibus perscriptum alijs litteris. Sacerdotum: quæ nuper accessit. ij iam numerantur triginta. Magna omnium pietas, quam scribendo non assequar: quocquid enim dixero, minus erit. prætermittam ieiunia, flagella, cilicia, quadragenarum horarum binas supplicationes, abductas mulierculas a vitæ turpitudine, operatam pauperibus, & vinctis in carcere: aliaq. id genus quamplurima. Ex eorum numero, quattuor contumelias, quibus affecti erant in publico, rependerunt eorū pedis osculo, a quibus afficiebantur. vnus sodalis filius alterius fratrem interfecerat: orbatu fratre, hoc nuntio accepto (aberat domo) recta in Collegium venit. hic firmat animum. cum domum reuertitur, interfectoris patrem offendit: & statim. Nihil, inquit, interrumpet gratiam, quam inter nos spero aternam fore. Quin, per me, in posterum amiciores erimus. & re ipsa ita factum. restitit instigatoribus inimicitarum, cum Prætoze egit de salute interfectoris, eius parenti pedes in Sodalitio vero affectu exosculatus. Cives quattuor diabolo se obstrinxerant, quem habere inclusum arbitrabantur in vasculo. eius auxilio multa perpetrabant. vbi hoc ad aures vnus sodalis peruenit, oratione illos & auctoritate permonit, vt abiecto vase, tantum facinus dete-

detestarentur . factum . licet , demone vehementer
comminante . qui omnes deinde in puteum proiecit
noctu . quo casu vnus interiit . Alius e sodalibus cum
inambularet in littore , & in piscatorē incidisset , qui
amisso indumento nudus verecundabatur redire ad
urbem , sua se veste exuit , vt illum contegeret . quam
liberalitatem admiratus alter , cum de referenda gra
tia cogitaret , pollicitus est (quod ei nouerat fore
quā gratissimū) octauo quoque die , expiatis peccato
rum sordibus in templo nostro communicaturū . at
que id promissum fideliter seruat . Demum , quanta
sit sodalium religionis fama , ex hoc aduerteris , quod
viri nobiles plerique cum agrotant , vouent se ex eo
rum cætu futuros , si conualescant . conciones non
sine emolumento . as alienum graue , quod saluo
officio retineri non poterat , dominis redditum . con
cubina dimissa . Quidam , puellam , cuius pudicitiam
imminuerat , duxit vxorem , licet ignobilem , nec
equalem sibi , nostris admonentibus . Stuprum alter
propinqua eluere cæde cogitabat , sed eū a statuto fa
cinore sacerdotis oratio reuocauit . Familia dua , quæ
armatis odijs inter se cõcertabāt , depositis armis ad
concordiã redactæ . Sed interijciebat sæpe in cõcione
noster Beatae Mariæ Magdalena laudes , aliquos velu
ti flores de admirabili eius vita factisq . delibans . hinc
cuium in illam propensio maxima pietatis . ad eius
opem accurrunt in rebus angustis . persuasum enim est
omnibus , vt eius patrociniõ possint esse salui : eamq .
sunt sæpe præsentem ac propitiã experti . Quædam ,
ad eius inuocationem , liberata est difficultate partus .

Quidam

Quidam graui implicatus morbo, ad concionem die
 Magdalena sacro, qui proximus erat, uenire cupie-
 bat. hoc futurū prædicebat medicis, utrūque ridenti-
 bus, & reddendam tam cito corpori valetudinem, &
 suffecturas vires ad templum perrecturo. Sed res
 ipsa docuit, diuinæ virtuti imparem esse sapientiam
 humanam. Hoc vero non silendum. Mulierem vnā,
 quæ est sexus infirmitas, dolor ad necessitatem mor-
 tis adduxit. iam nodum informis leti a trabe nexue-
 rat, iam pedes luctantes extenderat, cum cæpti pœni-
 tuit: tum strangulans vocem, vt potest, Magdalena,
 inquit, serua me obsecro. hoc dicto, sensit adesse quæ-
 dam, qui sustineret corpus, ne suo pressum onere, spi-
 ritum exprimeret. hoc ipsa illis, qui accurrerant fu-
 ni præcidendo, profusis lacrimis ad pœnitentiam ver-
 sa, narravit. Ex hoc Collegio Tarentum itum tempo-
 re Aduentus, & Quadragesima. confessiones genera-
 les obitæ sane quammultæ. instituta schola sermo-
 num spiritualium. Pietatis, vt vocāt, mons vno die
 commendatus ciuibus, eoq. ipso die, qui mille aureos
 sponte offerret, vnus inuentus.

P R O-